

inebantur, alioqui si id non fecisset, illa omnia obligasset. Hoc tamen aperte convincitur esse falsum, ex eo quod Eugenius non dixit se revocare regulam illam per Innocentium confirmatam, aut se dispensare in illa, sed solum dicit se declarare regulam illam, sic inquit: Auctoritate & tenore presentium declaramus & volumus quod in nullius predictorum transgressione, præterquam eorum quatuor, que concernunt principalia vota, obedientie scilicet, paupertatis, castitatis & claustræ, & super electione Abbatis, & dispositione, peccatum mortale incurant. Hæc Eugenius Papa. Deinde, licet Fratres Minores, aut Predicatores in suis statutis præmonuerint, se nolle per illa statuta Fratres ad aliquam culpam obligare, ex illa tamen monitione hoc aperte colligitur, legistorem posse, quum voluerit, legem statueræ, per quam sine aliqua culpæ obligatione intendat, aliquid à suis subditis fieri, vel omitti. Et inde aperte deducitur non esse necessario consequens, ut quoties legislator intendit aliquid à suis fieri, toties intendat eos ad illud obligare. Mala est igitur consequentia illius argumentationis, qua Henricus & Sylvester nituntur probare, omnem legem poenalem obligare ad culpam, sic arguens: Legislator talem legem statuens intendit, ut fiat, vel omittatur id propter quod poenam imponit: ergo obligat ad illud. Quam mala sit hæc consequentia, prudens lector ex his quæ diximus, facile agnoscat. Sed neque illius consequentiæ antecedens est usquequaque verum, quia (ut statim ostendam) non semper in omni lege poenali legislator intendit, ut fiat, vel omittatur id propter quod imponitur poena, sed propter alium justum finem. Hoc enim constat esse verum in omni lege poenali, quæ statuit poenam alicui sine sua culpa, non tamen sine justa causa infligi. Nam leges poenales, quæ filiis hæreticorum poenas imponunt, non intendunt, ut fiat, aut omittatur omne illud propter quod tales poenæ imponuntur. Quia tales poenæ ideo illis imponuntur, quia filii hæreticorum sunt, lex autem non intendit, ut illi faciant se non esse hæreticorum filios, quia hoc est illis impossibile. Forte aliquis dicet, legistorem per tales leges intendere, ut homines ab hæresibus caveant, ne suos filios tam gravibus poenis puniri videant. Ab hæresi autem cavere quilibet potest cum Dei adiutorio, quod ipse cuilibet bene credere volenti, semper paratus est dare. Fateor legistorem hoc ipsum intendere, sed propter hæresim unius numquam aliter catholico poenam irrogaret, nisi ille catholicus res esset quæ quodammodo ad hæresim pertineret. Propter hoc igitur solum puniuntur catholici, quia est hæretici filius, quoniam est quisvis alius homo hæreticus fiat, iste catholicus non ideo puniuntur, si filius filius non esset. Et licet ob hoc solum filio catholico lex irroget poenam, quia filius hæretici est, non tamen intendit, ut ille filius id omittat, propter quod poena sibi imposta est, quia in sua potestate situm non est, ut definat esse hæretici filius. Et eodem modo potest argui de filio illegitimo, qui sine culpa sua, non tamen sine causa, hanc sustinet poenam, ut non possit sacrum altaris ministerium exercere. Constat autem, quod lex hanc poenam illi imponens, non intendit per illam avocare illum, aut removere ab illegitimatione, quam à se expellere non potest. Quod si ista exempla, quamvis manifestissima, alicui non placent, profero alia multo apertiora, quæ nostram sententiam tam manifeste probant, ut nullam hosti, qua elabi possit, rimulam relinquunt. Lex quæ imponit irregularitatis poenam illi qui secundas celebravit nuptias, non intendit quod fiat, aut omittatur id propter

quod talem imponit poenam. Nam si id intendere, eo ipso, juxta Henrici & Sylvestri sententiam, obligare videretur homines, ut secundas nuptias non contraherent. Et inde ultra sequeretur eos omnes peccare qui secundas tenerint nuptias: quod est aperte erroneum, & est hæresis Cathaphrygarum & Novatianorum. Lex etiam quæ poenam irregularitatis infligit judici, danti contra aliquem justam mortis sententiam, non intendit per talem poenam revocare illum à talis sententiæ prolatione, quamvis illa sit propter quam lex talem illi irrogat poenam. Nam sic intendens videretur tollere à iudicibus eam occidendi potestatem, quam Christus Salvator noster illis tribuit, dicens: (Matt. 26.) *Omnis qui occiderit gladio, gladio peribit.* Falsum est igitur, legistorem semper in omni lege poenali intendere, ut fiat, vel omittatur id propter quod est imposta poena. Nec propterea sequitur (ut Henricus ait) talem legem pure poenalem esse tyrannidem dicendam. Quia etiam non præcæsit culpa, satis est præcedere causam, ut propter illam iuste possit poena imponi. Nam sæpe contingit ut aliquis sine culpa sua careat aliquibus quæ sunt necessaria ad aliquod officium bene exercendum: & ob hanc causam iuste possit poena imponi. Nam sæpe contingit ut aliquis sine culpa sua careat aliquibus quæ sunt necessaria ad aliquod officium bene exercendum: & ob hanc causam iuste possit poena imponi. Nam hæc illi infligitur poena, ut tale officium assumere, aut assumptum exercere non valeat. De qua re nolo quidquam impræsentiarum differere, quia de illa satis abunde me dixisse memini libro secundo de Justa Hæreticorum punitione, capite undecimo. Sed adhuc contra hanc nostram sententiam posset aliquis argumentari, sic dicens: Si lex pure poenalis, quatenus talis est, non obligat ad culpam: ergo non est dicenda lex. Nam (ut capite primo hujus operis diximus) non est lex dicenda, sed consilium, aut aliquid aliud simile, quæ subditos non constringit, aut obligat ad id, quod per legem decretum est. Sed huic argumento facilis patet responsio ex his quæ superius in hoc capite diximus lib. 2. cap. 11. Si lex poenalis statuit poenam à iudice inferendam, iudici præcipit ut illam poenam reo infligat, & sic illum (ut postea alio capite dicemus) ipsum iudicem obligat ad talem poenam inferendam. Si vero lex poenalis statuit poenam ipso iure latam, tunc (ut infra, Deo duce, aperte ostendam) obligat ipsum reum ad illam poenam sustinendam. Et propter hanc causam ego in conclusione, quam in principio hujus capituli posui, non dixi abolitam legem poenalem ad nullam culpam obligare, sed contractus loquutus sum, sententiam meam restringens ad solam illam culpam, quæ incurri posset, propterea quod id fuisset factum, vel omisum, propter quod est imposta poena. Potest igitur lex pure poenalis obligare iudicem ad poenam inferendam, vel reum ad sustinendam: neutrum tamen obligare potest ad faciendum, vel omitendum id propter quod imponitur poena. Et certe ex defectu hujus considerationis fuit deceptus Sylvester, citans pro se beatum Thomam, dicentem, omnes leges humanas iustas obligare subditorum conscientias. Fateor quidem cum beato Thoma, leges humanas obligare ad culpam, non tamen ultra id quod leges decernunt. At lex pure poenalis de nulla re disponit, nisi de poena: ergo licet obliget ad culpam, talis obligatio non erit nisi ad poenam inferendam. Et certe Cajetanus, qui multo melius (ut ego censeo) novit mentem beati Thomæ quam Sylvester, huic meæ sententiæ favet, prout ex verbis illius infra, per me citandis, clare constare poterit.

Restat, ut secundam nostræ primæ & præcipuæ conclusionis partem declarem, & probemus, & illa decla-

rata, & sufficienter probata, inde adhuc prioris partis veritas clarius innosceat. Secunda pars nostræ primæ conclusionis, dicit homines aliquando esse obligatos ad culpam, & peccare, propterea quod faciunt, vel omittunt id propter quod est imposta poena: sed hæc obligatio non inducit virtute legis pure poenalis, sed virtute alterius legis moralis scilicet datæ, quæ id præcipit, aut prohibet. Contingit enim sæpe, ut legislator primo per particularem aliquam legem præcipiat, aut prohibeat aliquid fieri: postea videns legem suam sæpe & passim præteriri, statuit legem pure poenalem, per quam decernit poenam contra legis transgressores, ut poenæ timore illos cogat ad legis observationem. Et casu huiusmodi qui legi subduntur, obligantur ad culpam, non tamen habent hanc obligationem à lege mere poenali, sed à lege morali. Si quis igitur tunc post poenalem legem datam contra legem ageret, peccaret: non tamen ideo quod transgressus est legem pure poenalem, sed quia fecit contra legem moralem. De qua re volo ex omni iure aliqua exempla proferre, ut res ipsa exemplorum multitudine fiat notior. In Levitico cap. 18. multæ habentur leges, quæ Deus olim per Moysen dedit, quibus multa prohibuit, nullam profus transgressoribus illarum legum apponens poenam. Postea ejusdem libri, cap. 20. prævidens Deus futuros esse multos qui prædictas leges non observarent, ut timore poenæ homines ad illarum observationem urgeret, statuit leges pure poenales contra eos qui leges illas morales prius transgrederebantur. In cap. 18. dicit lex divina: *Turpitudinem uxoris patris tui non discoperies. Turpitudinem sororis tuæ ex patre, sive ex matre, quæ domi, vel foris genita est non revelabis.* Et alia multæ consimiles in eodem capite continentur, quibus tot aliæ leges pure poenales correspondunt, cap. 20. ejusdem libri, ita ut singula cuique legi morali quæ habetur in cap. 18. correspondeat alia lex pure poenalis, quæ specialiter pro transgressione illius tantum legis poenam imponit. Nam lex pure poenalis, quæ correspondet illi primæ nunc proxime citatæ, habetur cap. 20. sic dicens: *Qui dormierit cum uxore sua, & revelaverit ignominiam patris sui, morte moriatur.* Et ad hunc modum sunt plures aliæ leges in illo capitulo, quæ poenam imponunt his, qui transgressi fuerint illas leges morales, quæ datæ fuerant in capite decimo octavo. Si quis igitur contra aliquam illarum legum fecisset, peccaret quidem, & esset obligatus ad culpam: hanc tamen obligationem non haberet à lege pure poenali, sed à sola lege morali, quam fuisset transgressus. Et certe ex hoc legis divinæ exemplo fuminat argumentum meo iudicio efficacissimum, ad probandum legem pure poenalem non obligare ad culpam. Nam si illa ad culpam obligaret, sufficiebant illæ leges poenales quæ dantur in capite vigesimo, & ita superfluebant omnes aliæ quæ datæ fuerant cap. 18. Non est autem rationi consonum, ut tantam dicamus esse in lege divina verborum superfluitatem, ut quæ semel dicta sunt, iterum subito, modica litera interjecta, repetantur. Ne igitur inanem illam verborum repetitionem in lege divina admittamus, cogimur dicere priores illas leges, quæ habentur in cap. 18. esse pure morales, obligantes solum ad culpam, & posteriores illas, quæ de eisdem rebus in cap. 20. decernunt, esse pure poenales, obligantes ad solam poenam, & non ad culpam. Hoc idem contingit in omni lege humana pure poenali quæ imponit poenam pro transgressione alicujus præcepti divini, ut est in cap. primo de Clericis pugnanti-bus in duello, & in cap. De cætero, de Homicidio volun-

rario. Nam si quis Clericus in duello pugnaverit, peccabit, quia agit contra præceptum divinum, & non quia agit contra illud cap. 1. de Clericis pugnanti-bus in duello. Quia textus ille, cum nullum contineat præcepti, aut prohibitionis verbum, sed solum poenam imponentem, non obligat ad culpam. Et idem dicendum est de Diacono qui causam homicidio dedit: quia ille eo ipso manifeste ligatus in culpa, non tamen virtute illius capitis. De cætero, quod constat esse pure poenale, sed virtute præcepti divini, quod ait: *Non occides.* Idem dicendum est per omnia de latronibus, venenariis, incendiariis, & aliis qui puniri jubentur in l. Capitulum, ff. de Penis. Si quis aliquod istorum criminum commiserit, non est dubium illi esse ligatum in culpa, sed hoc erit virtute legis divinæ, quæ omnia talia crimina fieri prohibet, non tamen virtute illius legis Capitulum: quia cum illa (ut constat) sit mere poenalis, non obligat ad culpam ex transgressione illius propter quod poenam imponit. Et ne aliquis putet esse singularem in hac sententiâ, & nullum habere Doctorem qui huic meæ sententiæ favet, profero Cajetanum, qui in Commentariis super Secundam Secundæ Sancti Thomæ q. 187. art. 5. tractans de peccato illorum qui ex sola cupiditate mendicant, & sciens legem pure poenalem esse contra illos latam quæ habetur lib. 1. Codicis, titulo de Mendicantibus validis, tandem per hæc verba respondet. Dico quod mendicans ex cupiditate otiosus, victus ex quo in veritate est pauper, nullam fraudem committit in proximo, sed solum peccat in seipsum, otiosam vitam & abjectam, absque ulla rationabili causa eligens, & propterea nulla est hic ratio peccati mortalis. Neque etiam propter poenam legis civilis, quia huiusmodi poena non facit, sed suppositam puniunt culpam, quæ de se non est mortalis. Hæc Cajetanus. In quibus verbis id potissimum annotare oportet, quod dixit legem illam civilem non facere culpam, hoc est, non obligare ad illam, sed suppositam culpam punire. Quæ licet de se non sit mortalis, quia tamen talis otiositas sæpe multorum mortalium peccatorum est causa: ideo tam graviter per legem illam puniuntur, ac si ipsa esset peccatum mortale. Nam lex illa poenam servitutis imponit valido mendicanti decernens, ut is qui talem mendicantem validum prodiderit, dominium illius consequatur. Hanc tamen legem dicit Cajetanus non obligare ad culpam. Quod non ob aliam causam ille dixit, nisi quia lex illa mere poenalis est, nihil præcipiens, aut prohibens, sed solum imponens poenam. Ex his omnibus jam aperte constat verum esse id, quod in secunda parte nostræ primæ conclusionis diximus, hominem esse obligatum aliquando ad culpam, quia facit, vel omittit id propter quod lex pure poenalis imponit poenam, quamvis talis obligatio non oriatur à lege pure poenali, sed à lege alia morali. Hanc autem obligationem ad culpam quæ ex alia lege morali oritur, aliquando ipsa lex mere poenalis ex gravitate poenæ quam imponit, aperte dat intelligere. Nam (ut cap. 5. superius diximus) aliquæ sunt poenæ tam graves, ut non nisi pro peccato mortali iuste possint infligi, ut sunt mors, membri alicujus abscisio, servitus, perpetuus carcer, aut perpetuum exilium, & communicatio. Quando igitur lex pure poenalis aliquam istarum poenarum imponit, eo ipso innuit, per aliam legem, aut divinam, aut humanam esse præceptum aut prohibitum id propter quod est imposta poena tam gravis. Quoniam cum illa non nisi pro culpa gravi possit imponi, & ad illam lex pure poenalis (ut hæc-

non diximus) non possit obligare, consequens est, ut alia sit lex moralis obligans illos transgressorem ad culpam, propter quam lex illa mere poenalis tam gravem poenam imponit. Et propter hanc causam est aliquando contingat, ut propter aliquam justam causam alicui sine culpa sua imponatur poena, numquam tamen hoc lex permittit, ut poena aliqua gravis, quales sunt illae nunc proxime numeratae, quantumlibet magna causa accedat, imponatur alicui sine culpa sua. Nam Deus justissimus, qui parentum peccata in tertiam & quartam generationem visitat, (Deut. 24.) praecipit, ut patres non occidantur pro filiis, neque filii pro patribus, sed ut unusquisque pro peccato suo moriatur. Quae lex (ut beatus Thomas 2. 2. q. 108. & Alexander de Hales p. 3. q. 4. 1. memb. 4. art. 1. q. 108. & Alexander de Hales p. 3. q. 4. 1. memb. 4. art. 1. q. 108.) non de sola morte; sed etiam de flagellis, & vulneribus, & aliis corporis cruciatibus est intelligenda, ita ut etiam intelligant Judices, non licere sibi unum pro peccato alterius flagellare, aut vulnerare, aut alio quovis corporis cruciatu torquere. Et merito quidem hi Theologi illustres senserunt, talem divinam legem sic esse interpretandam: quoniam sicut per praecipitum illud, Non occides, non solum prohibetur mors, sed quaelibet alia corporis percussio, ita etiam oportet, ut per praecipitum illud, Non occidantur patres pro filiis, aut filii pro patribus, intelligant Judices, flagellationes aut quemlibet alium corporis cruciatum esse illis interdictum. Hujusmodi enim poenae, quae non nisi pro culpa possunt infligi, numquam sunt alicui pro aliena culpa infligenda. Quod perpendens, & optime considerans beatus Augustinus episcopus 75. dicit, neminem posse pro peccato alterius excommunicari, & reprehendi Apigrum quemdam Episcopum, qui propter cuiusdam patrisfamilias peccatum totam illius domum excommunicaverat. Et idem dicit de omnibus spiritualibus poenis, quod nulla illarum sit propter alterius peccatum alicui infligenda. Et ob hanc causam dico, legem pure poenalem, quae talem poenam statuit, eo ipso innuere id propter quod talem poenam imponit, esse per aliam legem divinam aut humanam sic praecipitum vel prohibitum, ut ejus transgressio culpam inducat mortalem. Si lex poenalis, quae talem poenam imponit, est mixta, ita ut primo statuat aliquid fieri vel omitti, & postea poenam infligat, per talis poenae impositionem (ut capite quinto superius diximus) indicat id, quod per talem legem statutum est, obligare ad culpam mortalem. Si vero lex illa est pure poenalis, indicat aliam fuisse priorem legem moralem, divinam vel humanam, obligantem ad culpam mortalem, si id propter quod poenam imponit, fiat, vel omitatur. Et huic sententiae consonat id, quod Cajetanus in verbis supra citatis dixit, legem illam poenalem suppositam punire culpam. Supponere culpam dixit, pro innuere aut indicare culpam praecessisse, propter quam lex talem imponit poenam. Et certe in lege divina olim per Moysen data, hoc facile cognoscitur: quia numquam in ea reperitur aliqua lex pure poenalis, imponens poenam, quae soli peccato mortali debetur: nisi propter id, quod fuerat per aliam legem moralem divinam praecipitum, vel prohibitum. Et credo firmiter, hoc etiam contingere in jure canonico & civili, ita ut in nullo eorum reperitur aliqua lex pure poenalis, quae imponat poenam gravem indicantem culpam mortalem, nisi prius praecesserit aliqua lex divina vel humana, praecipiens aut prohibens id propter quod talis imponitur poena. Quae res, si bene consideretur, aperte meo iudicio declarat, legem pure poenalem, quatenus talis est, numquam obligare ad id propter quod poenam imponit. Nam

si illa ex se sola ad hoc obligaret; aliquando contingit, legem pure poenalem dare, absque hoc quod praecesserit lex moralis divina aut humana, quae praecipiat aut prohibeat id propter quod imponitur poena. Cum autem hoc numquam contingit, manifestum est argumentum, legem pure poenalem, quatenus talis est, numquam se sola posse obligare ad culpam. Et si forte aliqua talis ostendatur pure poenalis lex, quae poenam mortis imponat propter id quod nulla alia lege fuerat ante prohibita, dicam illum legislatorem non bene suam manifestasse intentionem, talem legem statuendo.

CAPUT X.

Quod lex pure poenalis non tollit obligationem ad culpam, quae per priorem legem moralem fuerat imposita.

Multis & apertis (ut ego existimo) rationibus in praecedenti capitulo probavi, nullam legem pure poenalem, quatenus talis est, obligare ad culpam, si fiat, vel omitatur id propter quod poenam imponit. Et ne, ex hac sententia aliquis rem parum advertens, colligeret, numquam posse esse culpam, ubi esset lex pure poenalis, addidi in secunda parte illius capituli, legem pure poenalem, quamvis ipsa ad culpam non obliget, indicare tamen aliquando culpae obligationem, quae per aliam priorem legem sive divinam sive humanam imposita fuerat. Sed, quia per haec omnia tam perplexae & scrupulosae quaestioni non plene me satis fecisse intelligo, ideo ut omnem, qui de legis pure poenalis obligatione ad culpam oriri possit, scrupulum tollam, plura adhuc addere decrevi, per quae clarius innoteceat, quam modica sit, vel (ut verius dicam) nulla legis pure poenalis ad culpam obligationem potestas. Pro cuius rei plana declaratione hanc pono conclusionem:

Lex pure poenalis, quatenus talis est, sicut non imponit culpae obligationem, ita nec tollit obligationem priorem, quae per aliam legem moralem divinam aut humanam imposita fuerat, nisi forte ipse legislator plenam ad hoc potestatem habens, per legem suam poenalem declarat se tollere priorem. Ad huius autem conclusionis plenior declarationem & probationem, oportet prius annotare duplicem esse legem moralem, & duplicem etiam esse legem pure poenalem, & oportet etiam leges pure poenales cum legibus moralibus conferre. Omnis lex moralis aut divina, aut humana. Lex etiam pure poenalis quaedam est divina, & quaedam humana. Nec opus est pro hac re exempla citare, quia illa sunt omnibus notissima. Legem divinam pure poenalem non est opus in hac parte conferre cum lege morali humana: quia numquam haecenus Deus condidit legem aliquam pure poenalem, quae particularem aliquam poenam temporalem exprimeret contra eos, qui specialem aliquam legem moralem humanam transgredirentur. Scio enim Deum praecipisse omnibus inferioribus, (Matth. 13.) ut superioribus suis obedirent, quum dixit illis, ut facerent omnia quae dixissent hi, qui in Cathedra sedent: non tamen minatus est poenam his, qui illorum mandata praeterissent. Praeterea, dicens Apostolus: (Luc. 10.) Qui vos audit, me audit: et qui vos spernit, me spernit, solum indicavit qua obligatione tenerentur homines obedire illis; non tamen expressit ullam poenam temporalem contra illos, qui Apostolorum aut illorum successorum praecipita non servassent. Forte quis mihi objiciet id, quod alibi eisdem Apostolis Saluator dixit: (Matth. 10.) Qui-

Quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exequites foras de domo, vel civitate, & exequite pulverem de pedibus vestris, Amen dico vobis, tolerabilius erit terra Sodomorum, & Gomorharum in die iudicii, quam illi civitati. Fateor quidem per haec verba Salvatorem nostrum ostendisse gehennae poenam, & quidem acerbam, esse intelligendam illis, qui Apostolorum sermones non audissent: ut peccatorum illorum haec via declararet esse mortalem & gravem, non tamen expressit ullam poenam temporalem, quae esset in hac vita illis imponenda. Deinde, et si concedamus satis esse poenam inferni per legem minari, ut lex illa sit centenda poenalis, nihil tamen illud Salvatoris dictum obstat nostrae sententiae. Quoniam illa Salvatoris verba de omni Apostolorum praecipitum, & non de aliquo speciali illorum mandato loquuntur. Non enim propter unum aut alterum speciale Apostolorum mandatum, sed propter omnia in universum illorum mandata, quae de fide aut necessariis moribus dedissent, talem minatus est poenam. Et idem profus accidit in ea lege poenali, quam Deus olim per Moysen dedit contra eos, qui Sacerdotis imperio obtemperare nolissent, quae in hunc modum loquitur: (Deut. 17.) Qui superbia nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis, morietur homo ille, & auferet malum de Israel: cunctaque populi adiens, timebit, ut nullus despiciat intumescat superbia. Haec divina lex ad hunc finem (ut ex illius verbis aperte constat) data est, ut metu poenae homines cohereret, non ad alicujus tantum specialis mandati, sed ad omnium mandatorum, quae de rebus difficilibus & ambiguis a Sacerdote data fuissent, observationem. Ego tamen hoc in sententia mea non negavi, sed solum dixi, nullam haecenus a Deo datam fuisse legem pure poenalem, quae particularem aliquam poenam temporalem exprimat contra eos, qui specialem aliquam legem moralem humanam transgredirentur: ita ut data prius lege aliqua humana morali, Deus propter illius meliorem observationem postea legem poenalem statuerit. Et ideo non est opus has duas leges inter se conferre, ut inquiramus an lex divina pure poenalis tollat obligationem ad culpam, quae per legem moralem humanam prius imposita fuerat. Si tamen aliqua talis fuisset unquam lex condita a Deo, (quod tamen puto nunquam contigisse) illa nullo modo tolleret obligationem ad culpam, quae per legem moralem humanam ante fuisset imposita, nisi hoc per legem suam ipse Deus declarasset. Huius autem sententiae veritas ex his quae mox dicemus, aperte constat. Leges pure poenales multae sunt olim a Deo per Moysen datae, ut metu poenarum, quae in illis statuantur, homines ad suarum legum moralium aut caeremonialium observationem cohereret. De quibus, quia in proxime praecedenti capitulo plurima proposui exempla, non est opus nunc ea repetere, aut plura addere. Si ergo singulas leges divinas pure poenales cum moralibus divinis, quae illis respondent, conferre volumus, dicendum erit semper, nullam legem divinam pure poenalem tollere illam obligationem ad culpam, quae per priorem legem moralem divinam imposita fuerat. Et, ut rem hanc apertius & clariorem faciamus, operarietium erit unum aut alterum exemplum proponere. In Levitico statuit Dominus legem, qua praecipit, ut nullus cum uxore sua coiret, sic dicens: (Levit. 18.) Turpitudinem uxoris patris tui non discoperies? Ut autem haec lex melius ab omnibus observaretur, legem pure poenalem postea in alio capitulo statuit, sic dicens: (Levit. 20.) Qui dormierit cum uxore sua, & revelaverit ignominiam patris sui, morte-

morietur ambo. In eodem libro legem statuit Deus, qua prohibuit omni viro, ne ad mulierem menstruam accederet, quae in hunc modum ait: (Levit. 18.) Ad mulierem qua patitur menstrua, non accedes, nec revelabis secretum ejus. Ad huius autem legis meliorem observationem postea legem pure poenalem adjecit, sic dicens: (Levit. 20.) Qui coierit cum muliere cum fluxu menstruo, & revelaverit turpitudinem ejus, ipsaque aperuerit fontem sanguinis sui, interficietur ambo de medio populi sui. Ad hunc modum sunt multae aliae leges morales, prout nunc de legibus moralibus loquimur in capite 18. Levitici, quibus totidem aliae leges pure poenales respondent in eisdem libri capite vigesimo. Dico igitur, per has aut alias leges pure poenales ibidem aut alibi a Deo datas, non tolli eam potestatem obligandi ad culpam, quae erat in legibus prioribus moralibus, antequam tales leges poenales pro meliori illarum observatione instituerentur. Haec conclusio aperte probatur per ea quae capite ab hinc tertio supra differimus. Numquam enim positio alicujus rei refert necessario obligationem alterius, nisi quando illa duo sibi invicem contrariantur, aut quovis alio modo sic inter se mutuo pugnant, ut simul eidem haerere non possint. Frigiditas tollit calorem, & e contrario, quia frigus & calor contrariantur. Positio lucis infert ablationem tenebrarum: quia divitit Deus lucem a tenebris, & irreconciliabili bello illa duo inter se pugnant. At dulcedinis positio non tollit albedinem: nec ex frigiditate positio sequitur necessario depositio nigredinis: quia nec dulcedo pugnat cum albedine, nec frigiditas cum nigredine, sed amabili societate bina & bina illa junguntur. Nam albedo cum dulcedine jungitur in lacte, frigus simul cum nigredine existit in opio. Poena autem & culpa (ut cap. 8. superius ostendimus), non sunt inter se contrariae, nec sibi invicem adversantur: ergo posita obligatione ad poenam per legem poenalem, non necessario sequitur inde remotio obligationis ad culpam, quae prius imposita fuerat per legem moralem. Praeterea, ratio naturalis non patitur, ut id quod ex sua naturali institutione ordinatur ad meliorem & firmiorem illius consistentiam, sit illius abolitio & totalis destructio. Vestimentum quod ex natura sua custodit corporis humani calorem, non est verisimile quod ipsum calorem destruat. Frigiditas & siccitas quae ex natura sua carnes ne putrescant, custodiunt, numquam easdem carnes putrescere faciunt. Accidentia omnia quae substantiam conservant, & firmam faciunt, numquam illam destrunt. Lex poenalis ex natura sua ad hoc ordinatur, ut homines magis obligatos faciat ad legis moralis observationem: numquam ergo illa ex se tollat illam obligationem, quae per priorem legem moralem imposita fuerat. Rursum, saepe contingit aliquem duobus valde distinctis praecipis obligari ad aliquid unum opus particulare, ut si quis voverit omni die dominico audire Missam, aut totam quadragesimam jejunare: quae duo, etiam secluso voto, facere obligant. Falsam enim & nimium erroneam ego communi Theologorum sententiae subscribens, censo esse illorum opinionem, qui dicunt, verum numquam esse nisi de re alias indebita. Potest enim quisque (ut verior Theologorum sententia docet) se iterum novo vinculo obligare ad id, quod alias ex praecipio divino, aut ex praecipio humano facere debebat: prout contingit in voto castitatis ab omnibus monachis emisso, quo se iterum fortiori vinculo constringunt, non solum ad non ducendam uxorem, prout aliqui male sentientes docent, sed ad omnem aliam castitatem servandam, quam ex jure divino servare tenebantur. Quum ista-

rum duarum obligationum una alteri succedit, numquam posterior tollit priorem, sed simul se iuvant, ut hominem fortius ligent & confringant ad faciendum id, quod priori vinculo quis facere tenebatur. Ergo eodem modo obligatio, quae per legem poenalem inducitur, non tollit illam obligationem, quae ante fuerat per legem moralem imposita, sed magno se iuvabit, cum eundem habeant finem; qui est ut fiat id, vel omittatur, quod fuerat per priorem legem moralem mandatum. Non enim ad hoc lex poenalis statuitur, ut moralem legem destruat, & illius potestatem minuatur, sed potius ut illam confirmet, & illius potestatem firmiter faciat. Et hanc sententiam fortius confirmat id, quod praecedenti capitulo dixi, saepe legem pure poenalem declarare quanta sit legis moralis obligatio, quae prorsus ignoraretur, si nulla lex poenalis fuisset, ex qua convinci aut saltem conici posset. At, si lex pure poenalis semper tolleret obligationem ad culpam, quae per legem moralem prius imposita erat, fieri non posset, ut lex pure poenalis ostenderet obligationem legis moralis. Non est enim possibile, ut aliqua res vere ostendat id esse, quod ipsa adveniente, statim sublatum est. Illa enim quae invicem velut ex diametro pugnant, & simul in eodem subsistere non possunt, hoc à natura habent, quod altero illorum adveniente, statim docent alterum non adesse. Divina igitur lex, quae furtum prohibet apud solos Lacedaemones, & Tauroscythas, & alios, qui furtum non puniunt, habebit potestatem obligandi ad culpam; apud alios autem qui varias contra fures leges poenales statuerunt, nullam prorsus habebit obligationem; propterea quod per leges poenales ab hominibus statutas illius obligatio sit poenitus ablata. Non puto, virum Christianum, nisi demens ille sit, in tantum posse incidere errorem, ut haec fieri non reformidet, atque vereatur. Ob quam causam visum est mihi non esse opus plura afferre argumenta pro huius tam aperte sententiae confirmatione. Ex hac igitur tam manifesta sententia conabor aliqua non minus manifesta corollaria deducere, per quae multi errores, qui in populo versantur, tollentur.

Primo, ex hac probata conclusione sequitur, leges poenales humanas, quae poenas statuunt contra eos, qui ex aliena sylva scindunt, & capiunt ligna, aut in alieno prato oves suas aut alia pecora pascunt, non liberare ipsos transgressores à culpa, etiam si illis earundem legum poenae inferantur. Prima huius corollarii pars probatur: quia sic facientes furtum committunt, & per consequens divinam legem transgrediuntur, quae prohibet furtum fieri. Et inde clarissime convincitur, illos peccare, quamvis lex humana contra eos, qui huiusmodi furtum committunt, poenam statuerit. Quoniam (ut in nostra conclusione probatum est) obligatio legis divinae non potuit tolli per legem poenalem sequentem. Nam alias oporteret etiam fieri, in nullo alio furto peccatum committi, propterea quod lex humana contra omne furtum poenam aliquam statuit. Res enim apertissima est, & minime controversa, furtum committere illum, qui ligna è sylva aliena invito domino scindit, aut in alieno prato contra domini voluntatem oves suas aut alia pecora pascit. Nam dominus sylvae habet verum lignorum in illa nascentium dominium: & dominus prati, aut agri cuiuslibet habet etiam plenum & perfectum dominium herbarum in illa nascentium. Quoniam potest utrumque illorum donare, aut vendere, aut permittere, quorum neutrum facere posset, si verum & perfectum non haberet in illis dominium. Ergo qui aliquid illorum contra domini voluntatem capit, alienum invito domino capit, & per consequens furtum committit, ut aperte dicitur in leg. Sciendum, & in leg. Furtim, iuncta glossa, ff. Arborum furtim scissum. Et inde ulterius sequitur, ut sic faciens, quia legem Dei transgreditur, peccet, non obstante qua-

gationem legis moralis divinae, sequeretur, quod nulla esset jam totius divini Decalogi obligatio, quia tere nullum est ex toto Decalogo praecipuum, propter cuius transgressionem non sit aliqua lex poenalis à Principibus, praeterim Christianis, statuta. Oporteret igitur fieri, neminem in transgressionem Decalogi peccare, propterea quod se exponit periculo poenae per legem humanam statuta. Hoc autem quam sit erroneum & haeticum, nemo sanæ mentis est qui non videat. Rursum, si obligatio legis moralis divinae tolleretur per sequentem legem poenalem humanam, sequeretur inde, legem moralem divinam non habere parem ubique locorum potestatem & obligationem. Sunt enim aliqua leges divinae morales, quarum transgressio in aliquibus Regnis aut Provinciis nullam prorsus habet poenam ab humana lege statutam. Nam Lacedaemones ex praecipuo Lyeurgi (ut Plutarchus in vita eiusdem Lyeurgi refert) furti impunita relinquebant, ut furti occasione & cupiditate ingenia illorum acuerentur, & animo essent solerti & curioso. Herodorus de Tauroscythis refert, illos furandi licentia sibi victum quaeritare. Divina igitur lex, quae furtum prohibet apud solos Lacedaemones, & Tauroscythas, & alios, qui furtum non puniunt, habebit potestatem obligandi ad culpam; apud alios autem qui varias contra fures leges poenales statuerunt, nullam prorsus habebit obligationem; propterea quod per leges poenales ab hominibus statutas illius obligatio sit poenitus ablata. Non puto, virum Christianum, nisi demens ille sit, in tantum posse incidere errorem, ut haec fieri non reformidet, atque vereatur. Ob quam causam visum est mihi non esse opus plura afferre argumenta pro huius tam aperte sententiae confirmatione. Ex hac igitur tam manifesta sententia conabor aliqua non minus manifesta corollaria deducere, per quae multi errores, qui in populo versantur, tollentur.

Primo, ex hac probata conclusione sequitur, leges poenales humanas, quae poenas statuunt contra eos, qui ex aliena sylva scindunt, & capiunt ligna, aut in alieno prato oves suas aut alia pecora pascunt, non liberare ipsos transgressores à culpa, etiam si illis earundem legum poenae inferantur. Prima huius corollarii pars probatur: quia sic facientes furtum committunt, & per consequens divinam legem transgrediuntur, quae prohibet furtum fieri. Et inde clarissime convincitur, illos peccare, quamvis lex humana contra eos, qui huiusmodi furtum committunt, poenam statuerit. Quoniam (ut in nostra conclusione probatum est) obligatio legis divinae non potuit tolli per legem poenalem sequentem. Nam alias oporteret etiam fieri, in nullo alio furto peccatum committi, propterea quod lex humana contra omne furtum poenam aliquam statuit. Res enim apertissima est, & minime controversa, furtum committere illum, qui ligna è sylva aliena invito domino scindit, aut in alieno prato contra domini voluntatem oves suas aut alia pecora pascit. Nam dominus sylvae habet verum lignorum in illa nascentium dominium: & dominus prati, aut agri cuiuslibet habet etiam plenum & perfectum dominium herbarum in illa nascentium. Quoniam potest utrumque illorum donare, aut vendere, aut permittere, quorum neutrum facere posset, si verum & perfectum non haberet in illis dominium. Ergo qui aliquid illorum contra domini voluntatem capit, alienum invito domino capit, & per consequens furtum committit, ut aperte dicitur in leg. Sciendum, & in leg. Furtim, iuncta glossa, ff. Arborum furtim scissum. Et inde ulterius sequitur, ut sic faciens, quia legem Dei transgreditur, peccet, non obstante qua-

cumque poena per legem humanam contra huiusmodi fures decreta: prout etiam peccaret in quocumque alio furto, quamvis lex humana poenam quamlibet acerbam contra illud statuisset. Secunda pars corollarii est etiam manifesta, & aperte deducitur ex priori. Nam si peccatum aliquod mortale committitur per scissionem lignorum in aliena sylva, aut per pastum pecorum in alieno prato, illud non poterit per solam poenam temporalem deleri: sed necessaria erit contritio, sicut ad deletionem cuiuslibet alterius peccati mortalis est semper illa necessario requiritur. Nullum est enim peccatum mortale, quod possit ex lege dimitti adulto absque ulla cordis contritione. Quia numquam Deus convertitur ad peccatorem, illius peccatum remittendo, nisi ipse peccator suum peccatum detestando convertatur ad Deum. *Convertimini ad me* (inquit Deus *Joel. 2.*) *Et ego convertar ad vos.* Ex quibus omnibus aperte convincitur, illum, qui ex aliena sylva ligna rapit, aut pecora sua in alieno prato pascit, non liberari à culpa per solam poenam poenae à lege statuta, nisi vere de culpa per tale furtum commissum, illum poeniteat. Addo insuper illum non vere poenitere, nisi dampnum quod per lignorum scissionem, aut herbarum pastum domino intulit, plene restituat. Quamvis itaque poenam à lege statutam subear, & de lignis aut herbis ablatis doleat, numquam erit à culpa liber, nisi ablata restituat. Nam ut habetur de regulis juris libro sexto, peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum. Eandem sententiam confirmat Augustinus in epistola ad Macedonium, sic inquit: „ Si res „ aliena, propter quam peccatum est, reddi possit, & non „ redditur, poenitentia non agitur, sed simulatur. Hæc Augustinus, & citatur à Gratiano in cap. Si res 14. q. 6. Præterea, (ut habetur in cap. finali, de injuriis & damno dato) non solum oportet satisfacere de injuria, sed etiam de damno: ergo quamvis qui ligna ex aliena sylva surripuit, per poenam poenae à lege statuta satisfaciat injuriæ quam intulit legi, contra illius prohibitionem furando, tenebitur nihilominus satisfacere damno quod intulit illi ex cuius sylva ligna surripuit, aut in cuius prato propria pecora pavit. Rursum, is qui huiusmodi furtum committit, quamvis de damno satisfaciat ei qui ab illo laesus fuerat, non tamen per hoc liberatur à poena per legem statuta, si Judex illum inferre voluerit: ergo etiam è contrario per poenam poenae à lege statuta non liberatur ab obligatione, quam habet ad satisfaciendum damnum illatum. Consequenter est manifesta, quia sicut tenetur satisfacere injuriæ, quam intulit legi, subjiciendo se poenae per legem impositæ & à Judice inflictæ, ita etiam tenetur illi quem læsit satisfacere de damno. Cum hæc igitur sint tam aperte probata, & ex principiis tam manifestis deducta, non possum non mirari, cum audio aliquos pro doctis à populo eximitatis dicere, illos qui ab alienis sylvis ligna subripiunt, aut sua pecora in alienis pratis pascunt, non peccare, nec obligari ad restitutionem, propterea quod sic facientes, se exponunt periculo poenae à lege contra tales statuta. Testor Deum, quod de hac re fui saepe à variis hominibus & in variis Provinciis interrogatus, quibus omnibus, cum constanter & eodem tenore semper responderem, illos in talium rerum captura peccare mortaliter, nec posse à peccato absolvi, nisi taliter capta restituant, objiciebant mihi se contraquam ab aliis viris doctis audivisse. Interroganti mihi quinam essent illi viri docti sic perperam docentes, quosdam mihi nominarunt, quos ego (ut ingenue loquar) inter mediocres discipulos non computarem; tantum abest, ut illos vere doctos esse cen-

seam. Populus tamen propterea quod in celeberrimis Civitatibus & coram magna populi frequentia, illos saepe prædicantes audiebat, illos vere doctos esse existimabat. Putat enim populus, & quidem merito, prædicationis officium non esse nisi viris doctis committendum. Nam qui doctus non est, alios docere non valet. Et ideo nisi prædicatoris imperitia sit aliunde manifesta, numquam sibi populus persuadere potest, ut doctus non sit ille cui est aliorum docendorum officium commissum. Et hinc saepe evenit, ut quoties aliqua populum vexat de re agenda dubitatio, ad prædicatorem, tamquam ad præcipuum legis doctorem, accedat, ut ab illo quid agere oporteat, doceatur. Et inde oritur, ut hic de quo nunc agimus, & alii multi similes errores in populo versentur, qui illum securum in varia peccata deducunt. Sed si à solis indoctis prædicatoribus hic error emanasset, forte jam perisset, & non tantas apud populum cepisset vires. Sunt tamen adhuc alii, qui absque prædicationis officio pro doctis à populo rudi celebrantur, & pro talibus haberi conantur, qui huic errori aperte favent, aut magnam aliis errandi occasionem præbent, propterea quod generaliter docent, nullam esse culpam in eo opere, pro quo est lex aliqua poenalis statuta. Nam per hoc quod periculo poenae per legem statuta, quis se exponit, dicunt eum esse à culpa liberatum, nec amplius illum obligari quam ad hoc, ut paratus sit poenam subire, quæ sibi juxta legem erit inflicta. Testor enim Deum & non mentior, quod saepe audivi hanc sententiam doceri à multis, qui pro doctis à multis existimabantur. Et certe hæc una ex præcipuis causis fuit, quæ me ad hoc opus scribendum impulit, ut huic pestifero errori, quem sciebam multorum peccatorum fuisse causam, occurrerem. Timebam certe, ne si hoc facere neglexissem, aliquando postea cum morere & cordis angustia dicerem, quod olim Elaias Propheta ob similem causam cap. 6. dixit. *Va mihi, quia tacui.* Timebam etiam, ne in illam Leonis Papæ incidere sententiam, qua ait: Qui alios, cum potest, ab errore non revocat, seipsum errare demonstrat. Hæc ille. Quis enim vir doctus & vere catholicus tolerare potuisset sententiam tam pestiferam, quæ docet furtum posse sine peccato exerceri, & quæ furto sublata sunt, posse sine peccato retineri? Gratias benignissimo Deo ingentes refero, quia non permisit me tam ferreum esse, ut poterim tolerare sententiam tam erroneam, quæ dicat legis divinae potestatem & obligationem posse abrogari per solam legem poenalem ab homine statutam. Nam qui ita docent, hæc sola ratione Deum homine inferiorem faciunt. Si nulla esset lex poenalis ab homine statuta contra eos, qui ligna ex alienis sylvis rapiunt, aut qui pecora in alienis pratis pascunt, nullus istorum, qui docent, auderet dicere, illos sic facientes non peccare: quia contra legem Dei, quæ furto prohibet, illos facere apertissime constat. Quod autem tali lege poenali ab homine constituta (ut illi dicunt) non peccent, qui talia faciunt, venire nullatenus posset, nisi lex humana subtulisset potestatem legis divinae, quod nefas est dicere, & pie aures audire abhorrent. Sed quidam ex illis, cum quo de hac re disputabam, qui à populo celebratur doctus, quamvis mea opinione non erat, mihi hæc argumenta objicienti respondit, negando furtum committi in talium rerum captura: quia à principio quando res inter homines dividi cœperunt, hæc lege sylva & prata alicui particulari homini venerunt in forem, ut quamvis aliquis inde aliquid surriperet, non peccaret: sed solum fuisset obligatus eam subire poenam, quæ illi fuisset per legem aut per Judicem inflicta. O bellum commentum, in quo

magis veritas, quam dicendi libertas desideratur. Fateor quidem talium rerum capturam non esse dicendam fortissimam, si à primâ rerum divisione talis fuisset condita lex: sed an sic fuerit inter omnes de hac re conventum, non video quomodo quis probare poterit, cum nullum exter de hac re apud probatos Auctores testimonium. Et ideo qua facilitate dicitur, eadem contemnitur. Potuisset etiam nunc populus qui communes sylvas, & communia prata habet, hanc legem statueret, ut quamvis nullus de re illa communi aliquid sibi absque Republicæ licentia capere possit, si tamen cœperit aliquid, non ideo peccet: sed solum subiciatur pœnæ per eandem Republicam constitutæ. Qua lege data, non est dubium, illos per talium rerum capturam non peccare: quia eo ipso quod talis lex condita fuisset, per illam videretur Respublica facere, ut furtum non esset talium rerum captura, quoniam licentiam daret, ut illas sine peccato capere possent. Et forte prout nunc sunt multorum hominum ingenia ad hujusmodi res furtim capiendas prona, expediens esset de lignis sylvarum, & de herbis pratorum communium talem statuere legem, ut multa per illam evitarentur peccata, quæ homines præsertim agricolæ propter hujusmodi res passim committunt. Hanc tamen legem circa illas sylvas & illa prata, quæ non sunt communia, sed sunt particularium dominorum, non posset Respublica statuere, sine ipsorum dominorum particularium consensu. Quoniam non tantam habet Respublica potestatem circa ea quæ sunt cuique propria, quantum habet circa illa quæ sunt omnibus communia. Nam in his quæ sunt communia, habet Respublica plenum & perfectum dominium: & ideo potest illa donare, vendere, locare, aut permutare, prout illi melius expedire videbitur. In illis vero quæ sunt particularium personarum propria, non habent tam plenum dominium, nisi quando sunt ad ipsius Respublicæ conservationem necessaria; & ideo non potest sine particularis personæ consensu illa donare, aut vendere, aut permutare, nisi forte ipsa Respublica summe tali re indigeret. Tunc enim qualibet particularis persona obligaretur juri suo cedere propter Respublicæ conservationem, sicut in corpore humano, natura docente, permitimus magis, aut brachium, aut pedem profusus abscindi, ne totum corpus periclitetur. Si aliquis, D gratia exempli, haberet prope Civitatem sylvam lignorum, quæ hostes Civitatem ipsam invadentes multum juvaret, posset Civitas, si aliunde sibi remedium parare non posset, totam Sylvam, etiam domino contradicente, profusus destruere, & omnia illius ligna secare, aut radicibus tollere. Obligaretur tamen ipsa Civitas ipsi domino sylvæ de damno illi illato satisfacere, si unde hoc facere possit, habeat: sive hoc sit de communibus Civitatis bonis, sive ipsam damni recompensationem per singulos cives dividendo, pensata bene cujusque civis supellectili, juxta quam, proportionem justa servata, erit facienda divisio. Seclusa autem vera & magna Civitatis necessitate, non poterit illa alicujus particularis hominis sylvam, aut illius ligna sine ipsius domini voluntate donare: & inde constat, ut, illo contradicente, non possit talem, quam supra diximus, legem circa capturam lignorum ex illa sylvâ statuere, prout diximus illam posse circa capturam lignorum ex sylvâ communi. Quod ergo supra dixi illos, qui hujusmodi furta committunt, obligari ad restitutionem damni, quamvis pœnam contra tales à lege statutam subeant, hac conditione intelligendum esse volo, nisi contrarium esset per legem validam constitutum, aut nisi antiqua consuetudine quæ pro lege tenenda est, contrarium fuisset semper ob-

servatum. Si enim ex antiqua & involuta consuetudine hoc receptum & observatum est, ut domini sylvarum aut pratorum non petant dampni reparationem, sed solum pœnam legis contra hujusmodi fures statutam, crederem illos fures per passionem talis pœnæ liberari à reparatione damni quod intulerunt. Nam ex ipsa semper observata consuetudine convincitur, hac intentione fuisse talem legem poenalem contra hujusmodi fures constitutam, ut per passionem pœnæ quam ipsa lex decrevit, liberarentur à damno quod intulerunt. Nam est possibile sit, ut unus aut alter talem reparationem damni sibi debitam petere neglexisset, non tamen est verisimile, ut omnes in universum semper eam petere recusassent, ut illam jure sibi debitam esse intellexissent.

Secundo, ex eadem conclusione infero, illos qui justa tributa Principibus debita, per fraudem aut simulationem reddere omittunt, non liberari à peccato nec à restitutione, quamvis sic facientes subeant periculum pœnæ, quæ est per legem imposta contra eos, qui hujusmodi tributa solvere negligunt. Contrariam huic corollario sententiam tulerunt illi, qui falso docent, nullam legem humanam obligare ad mortalem culpam, si pro illius observatione fuerit aliqua per legem imposta pœna. Nam ex hac falsa doctrina hunc inter alios deducunt errorem, quod docent, eos qui tributa Principibus debita subtrahant, non peccare, neque ad ullam illorum restitutionem obligari, propterea quod sic facientes se committunt periculo pœnæ, quæ est per legem contra tales statuta. Ex qua falsa doctrina non parvum regii patrimonii dispendium est ortum. Testor enim Deum, & non mentior, quod mihi constat multos hac sola ratione denegasse in Hispania Regi tributa, quæ juste sunt Regibus debita. Inter alia tributa quæ in Hispania, præsertim in regno Castellæ, ex antiquo regni jure Regibus debentur, duo præcipua sunt. Unum est, quo omnis homo, præter solos Ecclesiasticos viros, qui rem aliquam vendiderit, obligatur decimam pretii partem reddere Regi. Et hoc tributum vulgo dicitur *Alcavala*. Alterum est, quo ex omnibus mercimoniis quæ à regno ad alias Provincias deferuntur, aut ex aliis partibus ad regnum ipsum deportantur, debetur Regi certa aliqua portio pecuniis æstimanda juxta ipsius rei qualitatem & valorem. Hoc autem tributum, si est de rebus quæ per terram deferuntur, vulgo dicitur *Portazgo*: si vero est de his quæ sunt navigio portata, dicitur *Diezmo de mar*. Et quia multi sunt quia clam & secreto res vendunt, aut mercimonias suas extra regnum in abscondito deferunt, ne hujusmodi tributa reddere cogantur, ideo varix leges poenales conditæ sunt contra illos, qui hujusmodi tributa reddere omiserint. In his omnibus tributis, quamvis sæpe & sæpiissime sit Rex à multis defraudatus, illi tamen qui illum fraudaverunt, nullam profusus restitutionis memoriam habent: nec illos (quod pejus est) de hujusmodi male tentis tributis conscientia illorum accusat, & inde ulterius evenire necesse est, ut nunquam se de hac re coram sacerdote in secreta confessione accusent. Putant enim satis sibi esse, quod se committunt periculo pœnæ, quæ contra ipsos sic facientes est per legem statuta. Et hac sola ratione credunt, se esse à culpa & obligatione restitutionis liberatos. Rem mihi plene notam narro, quam ego ipse vidi, & non quam ex aliorum relatione didici. Nam multi mercatores in variis Hispaniæ locis me de hac re consuluerunt, quibus constantiter & eodem tenore semper respondebam illos, qui talia tributa denegant, peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem, quamvis se exponant periculo pœnæ per legem im-

impositæ: & multos ad hujusmodi restitutionem faciendam coegi. Multi tamen alii propterea quod illis placencia non dicebam, mihi credere volebant, diceptes se ab aliis viris doctis didicisse nullum in tali re esse peccatum: nullamque restitutionis obligationem; propterea quod lex poenalis quæ contra illos condita est, omnem (ut dicebant) tollit culpæ obligationem: quæ alioqui orta fuisset. Et hæc est altera causa quæ me impulit ad scribendum hoc opus de Potestate Legis poenalis, ut per illud hujusmodi errori occurrerem, qui simul quorundam hominum conscientias, & aliorum hominum mansuetudinem. Quod autem hæc sententia sit falsa, & apertum errorem contineat, ex eo manifeste convincitur, quod subditi, qui ex particulari Principis privilegio non sunt exempti, tenentur ex obligatione legis divinæ ad reddendum Principi justa tributa. Et inde apertissime colligitur illos à tali legis obligatione non liberari per hoc quod se exponunt periculo pœnæ, quæ per legem humanam contra eos qui tributa non reddunt, est statuta. Consequentia ista est notissima per ea quæ in ultima hujus capituli principali conclusione diximus: ubi probavimus legem humanam poenalem non posse tollere obligationem legis divinæ. Antecedens vero, quia ex eo tota hujus disputationis vis pendet, multis, & evidentibus rationibus statim probabo. Primo quidem testimonio Salvatoris nostri, qui interrogatus an liceret censum dari Cæsari, an non, petit ostendi sibi numisma censum, vixque in illo Cæsaris imagine dixit: (*Matth. 22.*) *Redite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Quibus verbis aperte præcepit tributum Cæsari reddi. Nam beatus Hieronymus in Commentariis super Matthæum, nomine eorum, quæ Cæsaris sunt, dicit intelligi tributum Cæsari debitum, sic inquit. Porro quod ait: *Redite quæ sunt Cæsaris Cæsari*, id est numum, tributum, & pecuniam: *& quæ sunt Dei Deo*, decimas, primitias, & oblationes ac victimas sentiamus. Hæc Hieronymus. Et Theophylactus eadem Salvatoris verba interpretans, ait: *Jesús per hoc quod figuratum erat numisma imagine Cæsaris, persuadet illis deberi Cæsari quæ ejus sunt, hoc est, quæ habent ejus imaginem. Et in corporalibus & externis obediendum est Regi; in internis autem & spiritualibus soli Deo.* Hæc Theophylactus. Præterea ipse Salvator noster Christus Jesús, prout in aliis omnibus virtutis operibus fecerat, ita in hac re opere & exemplo priusquam verbo nos docuit tributa Principibus esse reddenda. Nam quum illi qui tributa Cæsaris nomine exigebant, propter signorum magnitudinem quæ in Christo videbant ab illo tributum petere non audentes, accessissent ad Petrum, & pro Magistro illius tributum petissent, dixit Christus Salvator noster Petrus: (*Matth. 17.*) *Vade ad mare, & mitte hamum, & cum pisce qui primus ascenderit, tolle. Et aperto ore ejus, invenies staterem: illum jurens, da eis pro me, & pro te.* Quamquam Salvator noster propterea quod Regis æterni est Filius, & illum Pater cælestis hæredem universorum constituit, tributum nullum debere poterat, quatenus tamen homo erat, tributum reddere voluit, ut exemplo suo doceret tributa esse Principibus necessario reddenda. Nam si tributa quamvis vere ab illo indebita, ille Cæsari reddere voluisset, multi inde occasione putandi tributa non esse Principibus reddenda, sumplissent. Ut igitur hoc ab infirmis scandalum tolleretur, jussit Petrus ut pro se & illo tributum Cæsari daret. Sed ne hoc quasi debitum ab eo quis reddi putaret, antequam reddere præcepit, ostendit se minime esse talis

tributi debitorem. Quo prius ostenso, jussit ut ad scandalum vitandum tributum redderetur. Scio Chrysostrum & ipsius imitatore Theophylactum interpretari hunc Matthæi locum, non de tributo Cæsari debito, sed de tributo quod pro primogenitis lege divina jubebatur reddi tribui Leviticæ. Hieronymus tamen, cui ego magis in hac parte credo, semel & iterum hunc locum de solo tributo Cæsari debito intelligendum esse censet. Nam illum Matthæi locum in quo hæc historia ab illo narratur, interpretans Hieronymus, ait: *Post Augustum Cæsarem Judææ, facta est tributaria; & omnes censi capite ferebantur. Unde & Joseph cum Maria cognata sua professus est, in Bethlem. Rursum quoniam nutritus erat in Nazareth, quod est oppidum Galilææ Capharnaum Urbis subiacens, ex more poscunt tributa. Et aliquibus interjectis, postea subdit. Dominus noster, & secundum carnem, & secundum spiritum Filiius Regis erat, vel ex David stirpe generatus, vel omnipotens Verbum Patris. Ergo tributa quasi Regum filius non debebat, sed qui humilitatem carnis assumpserat, debuit adimplere, omnem justitiam.* Hæc Hieronymus. In præfatio loco, qui postea interpretans locum illum, ubi Matthæus cap. 22. refert Christum Salvatorem nostrum præcepisse, ut quæ Cæsaris sunt, Cæsari redderentur, postquam dixerat illa verba de tributis Cæsari debitis esse intelligenda, hæc verba subdit: *Quomodo & ipse reddidit tributa pro se & Petro. Hæc Hieronymus. Ex quibus verbis aperte constat, illum in hac sententia esse firmum, ut semper sentiat statem, quem Christus jussit Petro ut pro se & illo daret, esse pro tributo, quod Cæsari nomine petebatur, redditum. Rursum, tributa esse ex lege naturali & divina Principibus debita aperte convincitur ex illorum ministerio, & ex laboribus, quos illi pro utilitate populi sibi commissi subeunt. Justum est enim, ut aliquod illis pro suis laboribus stipendium reddatur. Nam (ut Salvator noster ait Luc. 10.) *dignus est operarius mercede sua.* Principes autem (ut Paulus ait Rom. 13.) *ministri Dei sunt, ad Dei honorem, & populi utilitatem servientes, & pro illo laborantes.* Multi enim & varii sunt labores quos Principes pro populo tolerant, ex quibus multæ etiam & varix oriuntur rationes, propter quas constat tributa illis ex jure naturali & divino deberi. Laborant Principes pro populo in executione justitiæ, ut sua quique reddantur: ut nemo alterum lædatur, nemo alteri injuriam inferat, sed omnes tui sint & securi, & omnes quietam & pacificam vitam agant. Nisi unus esset in populo Princeps, cui omnes æque obedire tenerentur, & qui omnes ad justitiam servandam cogeret, essent homines (ut quidam Propheta egregie dicit, (Abac. 1.) *velut pilces maris, quorum majores sæpe devorant minores. Ne igitur divites & potentes opprimant pauperes & debiles, & eorum substantiam devorent, oportet ut unus omnibus præsit, & omnibus justitiam ministret. Oportet ut unus pro omnibus laboret, & illius labor aliis omnibus quietem & tranquillitatem præbeat. Hunc Principum laborem tanti æstimat Paulus, & tam magnum censet esse beneficium, ut propter illud consequendum, dicat nos primo pro Regibus, & Principibus orare debere. Obsecro (inquit ille 1. Timot. 2.) *primum omnium fieri obsecrationes pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus.* Huic tam magno & tam necessario labori, quem Princeps pro populi utilitate patitur, aliquod ex jure naturali & divino stipendium debetur. Quoniam nemo qui servus non est, alicui gratis, & sine spe mercedis servire tenetur, præsertim si ille cui ser-**

vit, potens est ad stipendium reddendam. *Quis pascat gregem?* inquit Paulus 1. Cor. 9. *Et de fructu ejus non comedat?* Principes omnes, quamvis seculares sunt, pastores sunt, & pastoris nomine Deo per Ezechielem Prophetam dicuntur, (*Ezech. 34.*) ut ibidem Hieronymus exponit, Pascunt gregem, hoc est, populum sibi commissum justitia & pace & tranquillitate, ut illi a grege lac, hoc est, tributum aliquid sumant, quo se & illos, per quos justitiam populo ministrant, alere possint. Laborat etiam Princeps pro defensione populi sibi commissi, ne ab aliquo tyranno opprimatur, aut quovis modo laedatur. Ut autem hunc laborem recte exequatur, saepe sunt milites necessarii, quibus possit tyrannidem & violentiam a populo propellere. Pro talium militum stipendio aliqua oportet tributa reddere, quoniam sine stipendio, milites labores & pericula belli suscipere nollent. In cujus sententiae confirmationem, Augustinus lib. 22. contra Faustum, cap. 74. ait: Ad hoc enim tributa praestantur, ut propter bella necessario militi stipendium praebatur. Hae Augustinus. Nec satis est, ut pro hac re tantum tributum reddatur, quantum sufficit ad solvendum stipendium militibus pro bello necessariis, sed opus est, ut ipsi Principi, pro labore quem belli causa sustinet, aliquod stipendium addatur. Nam etsi Princeps ipse belli pericula in sua persona non subeat, nihilominus militare dicitur, quoniam totum belli pondus in illo consistit: & omnes vires belli procedunt ab illo. Nam ille est qui milites ad bellum necessarios quaerit: ille eligit duces, qui bello praesint, & milites regant: ille machinas, munitiones, & omnem bellicum apparatus praeparat. Justum autem est, ut propter hanc tam gravem & tam necessariam laborem, aliquid tributum Principi reddatur. *Nemo enim* (ut Paulus ait 1. Cor. 9.) *suis stipendiis unquam militavit.* Hos omnes, & alios similes labores quos Principes pro utilitate populi subeunt, Paulus considerans in ea quae est ad Romanos epistola, cap. 13. postquam praecipit, ut omnes Principibus subdamur, & illos timeamus, propterea quod eorum quilibet Dei minister est, vindex in ira ei, qui malum operatur, statim subdit: Ideo enim & tributa praestatis. Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Quae Pauli verba Theophylactus interpretans, ait: Ipse istiusmodi Principum in te beneficia testificaris & probas, cum eis tributum & mercedem dependis. Quod sane perspicuum est, eo te illud persolvere, quia & tui curam illi susceperint. Neque enim Praesidibus ipsis hoc census a principio detulissetis, nisi nobis fuissent pernecessarii, quippe cum ipsi curis vacui, hos habeamus, qui pro nobis invigilent. Fit itaque vel Dei id voluntate, ut tributa suis ministris pendantur. Vult enim Deus, ut pax ipsa, & virtus exerceantur, & propulsetur iniquitas, ad idque, Deo volente, sunt Principes, & illi parent, cum ministerio isto funguntur, & pro communi hominum statu labores infumant, in eoque & persistant, & coonituntur, ut vitam ipsi per quietem ducamus. Haec enim Theophylactus. Deinde, Paulus inter varia debita enumerat tributa, dicens: *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, cui timorem, timorem, cui honorem, honorem.* In quibus verbis apertissime docet Paulus tributa esse aliquando debita. Hoc autem non de omnibus tributis, sed de illis solum quae iuste imposita sunt intelligendum est. Nam quae iniuste imposita sunt, nulla ratio patitur, ut ad illa reddenda populus obligetur. Quae autem sunt iuste imposita tributa, & quae iniuste, licet ad praesentem disputa-

tionem non spectet diffinire, breviter tamen rem ipsam obiter perstringere decrevi. Pro cuius rei clariori definitione oportet primo inter ipsa tributa distinguere, an sint antiqua, an nova. Si tributa ipsa quovis nomine illa censentur, tam antiqua sunt, ut de illorum initio nulla proferri possit haberi memoria, tunc semper pro his qui illa exigunt, praesumendum est, quod iuste exigunt. Quia (ut regula juris ait) quilibet praesumitur bonus, donec probeur contrarium. Dum igitur non constat de initio horum tributorum initio, praesumendum est illud fuisse justum, & per consequens nunc iuste à dominis exigi. Et in talibus verum est quod dicitur, meliorem esse conditionem possidentis: ita ut merito credendum sit, justius agere Dominum, quum tale tributum exigit, quam subditum, cum illud Domino negare conatur. Haec sententia aperte probatur per cap. Super quibusdam, de Verborum significatione, ubi enumerans tributa quae iuste exigi possunt, inter ea recenset illa quae ex antiqua consuetudine à tempore cuius non extat memoria, introducta sunt. Si vero talia tributa nova sunt, ita ut nunc primo procreantur institui, aut si jam imposita sunt, de illorum initio aperta habeatur noticia: tria in talibus tributis considerata sunt, ut per illa talium tributorum iustitia manifeste possit agnosci. Primum est auctoritas ad talia imponendum tributa. Hanc vero auctoritatem (ut in praedicto cap. Super quibus decernitur) non habent nisi Imperator, aut Rex, aut Papa, aut Concilium. Aliqui ex illo cap. Super quibus colligunt etiam antiquam consuetudinem, cuius non cognoscitur memoria, habere auctoritatem ad imponendum tributa: qui sic colligunt, male revera intelligunt textum. Quoniam antiqua consuetudo (ut ex littera textus constat) ad tuendum vetera tributa valet, non ad imponendum nova. Aliud siquidem est exigere tributum, & aliud est imponere tributum. Et inde sequitur, ut distincte etiam sint auctoritates ad haec diversa exequenda. Una est auctoritas ad exigendum tributa. Altera est auctoritas ad imponendum illa. Haec auctoritas multo major est quam prima, quia qui habet secundam, habet etiam primam; non tamen è contrario. Nam si, cui Rex, aut Imperator concessit aliquod tributum sibi debitum, habet auctoritatem exigendi tributum, non tamen habet auctoritatem imponendi. Antiqua ergo consuetudo à tempore, cuius non extat memoria, dat auctoritatem ad exigendum tributa quae ab illo tempore antiquo sunt introducta: & non dat auctoritatem ad imponendum nova. Nam cap. Super quibusdam, in §. Praeterea, loquitur (ut constat ex littera) de tributis quae ex antiqua consuetudine introducta sunt, & non loquitur de auctoritate imponendi nova tributa. Et confirmatur haec sententia per cap. Innovamus, de Censibus, ubi talis auctoritas imponendi nova tributa, aperte negatur antiquae consuetudini, quia expresse ibi dicitur, illam solis Regibus, & Principibus esse concessam.

Alterum, quod exigitur ad tributorum iustitiam, est causa: quae ex sola populi necessitate, aut utilitate, & non ex Principis utilitate sumenda est. Alioquin, si Princeps propter solum suum commodum tributa imponat, non iusta, sed tyrannica dicentur. Quoniam Rex propter populi utilitatem, & non populus propter Regis commodum datus est. Nam propter hanc causam Principes populi Israel, Dominus per Ezechielem Prophetam, cap. 34. reprehendit, dicens: *Vae pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Nonne greges à pastoribus pascentur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini; & quod crassum erat oc-*

cidebatis: gregem autem meum non pascebatis. Quae verba (ut beatus Hieronymus ea interpretatur) non ad solos Praelatos Ecclesiasticos, sed etiam ad Principes seculares dicta sunt, quia hietiam sicut illi pastores dicuntur, & utriusque, quamvis non eodem passu, gregem sibi commissum pascere tenentur. Tertium, quod ad tributorum iustitiam exigitur, est, ut tributa ipsa iuxta debitam proportionem imponantur. Haec autem proportio in multis considerata est. Primo inter ipsum tributum & causam, propter quam imponitur, ita ut non majora tributa exigantur quam causa ipsa propter quam imponuntur, possulet. Nam si majora exigantur, injusta erit talis exactio propter excessum, qui sine ulla causa exigitur, & erit talis excessus obligatus restitutioni, ut habetur in cap. Quia plerique de Immunitate. Oportet etiam habere proportionem & commensurationem inter tributum & populum cui imponitur tributum; ita ut tributum ipsum populi facultatem non excedat: alioquin tyrannicum & injustum erit tributum. Quoniam quod pro populi utilitate instituitur, non debet contra illius utilitatem militare. Tributum autem est Regi datur, non tamen propter Regis, sed propter populi utilitatem datur: & inde sequitur, ut non debeat tantum tributum imponi, ut per illud populus penitus destruat, aut in nimiam deveniat paupertatem. Nam qui hoc faciunt, non solum de lacte gregis comedunt, sed ipsum gregem excoriant. Propter quod Dominus per Prophetam Michaeam, cap. 3. huiusmodi Principes qui talia tributa imponunt, reprehendit, dicens: *Audite Principes Jacob, & duces domus Israel. Et post pauca: Qui violenter tollitis pelles eorum de super eis, & carnem eorum de super ossibus eorum. Qui considerant carnem populi mei, & pellem eorum de super excoriant eorum.* Postquam tributum toti populo impositum est, oportet in illius distributione servare proportionem geometricam, ita ut considerata prius cuiusque hominis facultate, tanto majus, aut minus cuique imponatur tributum, quanto ille magis, aut minus dives fuerit. Ecce omnia quae mea sententia sunt necessaria, & sufficiunt ad hoc, ut tributum aliquid sit justum. Si aliquod horum desideret, ut puta auctoritas, aut causa, aut debita proportio, tributum erit injustum, & subditus non tenebitur in conscientia ad illud reddendum, nisi forte propter scandalum vitandum. Nam propter illud vitandum saepe tenetur reddere, quae alias reddere non teneretur. In hoc enim casu credo praecipuum esse quod Salvator noster ait: *Ei, qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum eo alia duo.* Sed hic notandum est, quod si tributum est injustum propter solum defectum proportionis, ut puta quia excedit causae necessitatem, aut populi facultatem, pro sola ea parte, quae est excessus, non obligabitur subditus ad reddendum, sed aliam partem, in qua est iusta proportio & debita commensuratio, tenebitur in conscientia subditus reddere. Si vero haec omnia quae ad justum tributum diximus esse necessaria & sufficientia, simul in aliquo tributo cohaereant, tunc illud erit justum, & subditus, qui ab illo liberi non sunt, tenebitur in conscientia illud reddere: neque ab hac obligatione liberabuntur per hoc quod se exponunt periculo poenae quae est contra tales per legem imposita. Nam (ut probavimus in ultima huius capituli particulari conclusione) lex poenalis humana non potest tollere obligationem legis divinae. Lex autem divina (ut proxime probavimus) praecipit tributa Principibus reddi: ergo lex poenalis humana non potest tollere huiusmodi obligationem. Et inde sequi-

tur, ut si quis tributum aliquod justum, quovis nomine illud censetur, reddere omittat, & postea de hoc accusatus & convictus poenam legis patiatur, teneatur nihilominus adhuc in conscientia ad huiusmodi tributum reddendum: quemadmodum is qui poenam furti tolerat, tenetur ad rem furtivam restituendam, Quia (ut in priori corollario diximus) nulla poenae poenae per legem humanam impositae potest hominem liberare ab ea obligatione, quam ex lege divina habebat, ante passionem talis poenae. Forte contra haec omnia quis argumentabitur, volens probare tributa non esse ex lege divina Principibus debita, quia si illa ex lege divina deberentur, sequeretur necessarium oportere illa esse aequalia, & eadem apud omnes nationes ubique gentium. Quia lex divina, praesertim moralis, aequae omnes obligat, & eandem vim apud omnes habet. Non sunt autem eadem, nec aequalia apud omnes nationes tributa, quia alia redduntur in Hispania, alia in Gallia, alia in Anglia. Ex qua tributorum diversitate videtur aperte convinci talem legem de tributis necessario reddendis non esse divinam. Fateor tributa esse varia juxta varietatem Regnorum & Provinciarum: non tamen sequitur inde tributa non deberi Principibus ex lege divina. Nam etsi lex divina non obliget ad aliquod speciale & determinatum tributum, obligat tamen ad aliquod tributum reddendum. Quantum autem & quale tributum sit reddendum, quia propter varias populi facultates, & occurrentes illius necessitates, non poterat unica & generali lege diffiniri, ideo ipsius tributi determinatio & specificatio committitur dispositioni legis humanae. Multa enim sunt quae solum in genere sine ulla specificatione praecipuntur in lege divina, & illorum specificatio & determinatio ad aliquod particulare ex sola lege habetur humana. Diligere Deum tenetur ex lege divina & naturali: ipsa tamen lex divina non exprimitur quando, aut quo loco Deum diligere debemus, sed haec specificatio (ut aliquibus placet) lege humana facta est per praecipuum de auditione Missae in die Dominico. Tunc enim, juxta istorum opinionem, tenetur homo in ipsa Missae auditione diligere Deum expresse, aut interpretative, ut puta faciendum aliquid propter Deum. Ex jure divino & naturali tenetur homo aliquem diem in hebdomada ad Dei cultum deputare. Quis autem sit iste dies, ex lege divina, quae nunc viget, non exprimitur, sed hoc sola lege humana est declaratum. Nam etsi olim lege Moysaica fuit septima dies ad cultum Dei praecipua, illud tamen praecipuum, quia non morale, sed caeremoniale erat, fuit inter alia per mortem Christi revocatum, & ideo in lege Evangelica non obligat. Ob quam causam Ecclesia divino Spiritu afflata, loco illius septimae diei, octavam, quae dies Dominica dicitur, statuit in honorem Dominicae Resurrectionis. Ex jure etiam divino & naturali est, ut his qui altario serviunt, aliquid tamquam stipendium sui laboris pro illorum alimentis offeratur. Quantum autem sit illis tribuendum, ut puta decima, aut octava, aut vigesima fructuum pars, ipsa lex divina quae hodie extat, non exprimit. Olim enim lex Moysaica decimam fructuum portionem dare iussit: (*Levit. 27.*) sed quia praecipuum illud, quatenus determinatam exprimit partem (ut omnes Theologi concorditer docent) quamvis Canonica, ad quos de hac re definire non ita spectat, contrarium sentitur, inter caeremonialia praecipua numeratur. Et inde sequitur, ut per passionem Christi sit cum aliis revocatum. Ex quo ulterius sequitur, ut illa decimae portionis taxatio, non ex lege divina, aut naturali,